

nisi fuerit honesta persona & fide digna, Anton. Gomez. *Tom. 3. c. 12. n. 19. fol. 561. Var. resolut. Gail. l. 2. Observat. 95. numer. 20. pag. 478.* Nam causa, ob quam pauper repellitur à testimonio ferendo, quæ est præsumtio corruptionis: pauper enim ob inopiam & egestatem facile potest corrumpi pecuniâ, Mascard. *Vol. 3. Concl. 1161. num. 2. fol. 394. de Probat.* Jacob Ægidius *de Testibus, numer. 8. pag. 84.* Campegius *reg. 113. pag. 643. de Testibus,* in paupere probo & honesto cessat. Cessante autem causâ, ob quam testis ratione paupertatis rejici potest, cessat ipsa rejecti. Vide Hippol. de Marfil. *in §. principium. num. 9. fol. 349. Pract. Crimin.* Quantumvis alii simpliciter pauperem pro teste, qui sit omni exceptione major, habere nolint, Lancellot. *d. loco.* Interim tamen pauperis testimonium dicto alterius testis, in quo talis exceptio cessat, omninò potest suppleri. Crotus, *part. 3. num. 9. pag. 452. de Testibus.* Cæterum quod pauper sit homo bonæ fidei, hoc est in specie probandum à producente: licet enim de quolibet præsumatur, quod sit bonus, donec probetur contrarium, attamen ubi à lege specialiter requiritur honestas & bona fama, sicuti requiritur in hoc casu in paupere, ad hoc, ut à testimonio nequeat repelli, tum cessat præsumtio generalis bonitatis, quia præsumtio Juris extat in contrarium, quòd talis possit facile corrumpi. Farinac. *l. 2. tit. 6. question. 57. num. 82. 83. & seqq. fol. 113. Oper. Crimin.* Accuratè itaque inquirendum est, cujus existimationis, vitæ, & instituti sit pauper in testem productus. Reuberus *de Testibus part. 3. num. 48. pag. 824.* Judicis tamen arbitrio committitur, quinam pro paupere haberi debeat, Tiber. Decianus, *l. 3. cap. 22. Criminal. numer. 14. fol. 145.* Metzger. *Conf. 15. numer. 96. pag. 266.*

(10.) *Ratione vilis & abjectæ conditionis:* Nonnulli docent, & vilem atque abjectum, seu infimæ sortis hominem à testimonio in criminalibus arcendum esse. Quod tamen aliis displicet, distinguentibus: talem quidem humilem hominem non simpliciter à testimonio posse repelli, attamen tantam fidem ipsi non haberi, quanta habeatur dignioribus. Justus Reuberus *part. 2. num. 50. de Testibus pag. 824.* quia præsumtio est pro eo, qui in dignitate constitutus est, quod majore fide veritatem sit dicturus, quam homo abjectus, proinde etiam dignioribus magis creditur. Francisc. Curtius *de Testib. Conclus. 16. num. 31. p. 330.* Quando verò cum vilitate testium concurrat aliqua criminis vel infamiae nota, tum ejusmodi testes non admittuntur, modò istæ qualitas debito modo prius fuerit probata.

(11.) *Ra-*